ILLUSTRISSIMO

ET REVERENDISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI D. D.

DAVIDI NICOLAO DE BERTIER

Christianissimo Regi ab omnibus Consiliis, Primo Blesensium Episcopo.

D. D. D.

Renatus Siret Blesensis.

QUÆSTIO MEDICA PRO BACCALAUREATU

MANE DISCUTIENDA

IN ALMA MONSPELIENSIUM MEDICORUM ACADEMIA.

PRÆSIDE.

R. D. PETRO RIDEUX

PROFESSORE REGIO,

SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM SOCIO.

An Phrenitidi Balneum.

QUI febri acutâ correptus, circà quælibet obvia indiscriminatim delirat, spiratque ex adaucto robore aliquid indomitum, est ille Phreneticus. Qui priùs rationis compos erat, tunc impos est; absona loquitur, respondet incongruè, furit; assidentibus, ni caveatur, infensus & infestus est, imò & sibi. Hominem non diceres, sed feram rabidam. Quàm perturbatur ipsius mens! Nunc in cachinnos solvitur, nunc mærore conficitur, videtur temulentus. Sed natura recurrit & ingenium; si fuerit pius pia profert, si impudicus obscæna, si rusticus rustica, de rebus bellicis si miles, de disciplinis verba profundit si fuerit litteratus; de iis verò & aliis mutit ac murmurat incongruè & extemporariè. Vide quàm varius & miser! Obliviscitur interdum quæ sua sunt, interdum sua recordatur & aliena, remotissima retrahit & prodit. Quid plura? Protheus aut hominis larva est, eaque absurda.

Læsiones illæ magis ad mentem pertinent. Hæ magis ad corpus. Phreneticus facie rubet & oculis, nec tamen hi splendent & micant, sed obnubili sunt, squallidi, horrifici, semper aperti, & jucundam lucem refugientes. Præposterè mittit manus & movet digitos ; cum floccos & festucas ex pannis legere, muscas per aërem captare cum Galeno diceres. Uritur, agitatur, nec sudat; vix mingit, etiam volens; induratæ sunt ejus fæces, & universa cutis siccissima; arida est, nigricans est ejus lingua ; continuò vigilat ; audit remissiùs loquentes ; exquisitissimè sentit.

Unde verò miseranda hæc hominis labes? A corpore menti socio, eoque fragili & fluxo. Scrutemur ergò vitiatum illum corporis statum, ut corpus ipsum, cognito ejus vitio, convenientibus auxiliis ad sociale munus reducamus. Num inflammantur in Phrenitide meninges, in Paraphrenitide diaphragma? Ostenderunt cadaverum sectiones, membranas cerebri septumque tranversum fuisse absque Phrenitide inflammata; & ex adverso partes illas non fuisse inflammatas in iis quos Phrenitis sustulerat. An ex eo Phrenitis, quod ex secretis partibus heterogeneis spiritus vehementiùs fermentantes, explodantur, choreas agant in emporio? Secretorios cerebri ductus laxari quis credat, ut heterogeneis secretionibus inquinentur spiritus, unde mentem turbent & ex sede rationis moueant? Repugnat prorsùs huic ductuum laxitati siccior Phreneticorum intemperies; eademque pars cerebri simul foret & laxa ut supponitur, & ultramodum tensa ut arguitur ab exquisitissimo Phreneticorum sensu. Tum & inquinatum hoc liquidum, quantumuis in communi receptaculo fermentesceret, in omnem exagitaretur sensum, in cunctas simul impeteret cerebri fibras, non in varias & singulares, ut singularia & varia excitaret deliramenta. Unde igitur Phrenesis? Ex eo, quod fibræ cerebri sint ultramodum tensæ. Hinc continuæ Phreneticorum vigiliæ, hinc acutior externorum perceptio, & alia quæ jam suprà relata sunt symptomata. Idem censuere nonnulli ex veteribus qui siccitatem cerebri pro causâ Phrenitidis agnoscebant. Fidium chordæ sonum non edunt nisi vibrentur, nec vibrantur nisi pulsentur; non pulsantur ab aëre, sed aërem pulsant; quo magis sunt tensæ eo faciliùs vibrantur & promptiùs. De fibris cerebri idem esto judicium. Has intensas in Phreneticis succutiunt internæ cerebri arteriæ, quæ febrili æstu ultramodum micant, eas objecta impellunt; ipsæ verò elatere suo resiliunt, vibranturque; & ab inconditis illarum vibrationibus variisque, varia deliramenta. In se agunt invicem anima & corpus, ideòque dicuntur hæc unita, sociata, copulata. Anima dominatur & servit in cerebro. Prout variè affecta est variè vibrantur cerebri fibræ. Itaque fibris illis utitur anima tanquàm instrumento, ut spiritus aut in sanguinem mittat, aut in cerebro coërceat; & hinc multiplices corporis mutationes. Et vicissim pro variâ fibrarum cerebri motione percipit anima, cogitat, recordatur, pathematis afficitur. Ergo si moveantur inconcinnè fibræ cerebri, anima inconcinnè percipiet, cogitabit, recordabitur, totus homo se habebit inconcinnè & absurdè, delirabit, efferabitur.

Duo potissimum summam fibrarum cerebri tensionem inducunt, spirituum

exuperantia, & feri defectus. Prius arguitur ex robore validiori, & intenso corporis calore. Posterius, ex summâ linguæ cutisque ariditate, à defectu sudoris, ab urinâ paucâ, à fœcibus induratis. Quidquid ergò poterit uberiorem spirituum copiam gignere, discutere serum, & acutam febrim accendere, illud omne inter remotas Phrenitidis causas poterit recenseri. Hujusmodi sunt exercitia immodica, frequentior liquorum ardentium potus, excandescentes motus animi, effrenis venus, alimenta falsa & piperata, aliaque complura. Nec tamen febrientes omnes Phrenitis infestat, sed eos dumtaxàt, in quibus eæ sunt cerebri fibræ ut faciliùs intendantur. Ita qui juvenili sunt ætate, qui biliosâ donantur corporis temperie, qui macerantur curis, qui assiduâ mentis contentione consumuntur; Phrenitidi sunt magis obnoxii. Et hinc est quod æstivo tempore & in calidis regionibus fæpiùs incurrat Phrenitis, quàm hyemali tempestate & in plagis Septentrionalibus.

Si quis intensè febriens de gravissimo capitis dolore conqueratur, de somno frequentiùs interrupto, de horrendis insomniis; si vociferetur inter dormiendum, si vigilans è lecto citrà necessitatem exiliat, si dictorum oblivifcatur, si promptiùs quàm pro more respondeat, aut crebriùs obloquatur & irafcatur facilè; imminentem ei Phrenitidem conjicies; hæc enim & similia jam inchoatam arguunt fibrarum cerebri ac nervorum nimiam tensionem. Is vero jam est Phreneticus, qui acutè febriens & quasi robustior factus circà omnia delirat. Phreneticum distingues à Maniaco per febrim, à Melancolico per delirium universale; ab eo qui laborat comate vigili per membrorum robur; à Lethargico per continuam vigiliam & acutam febrim. Est enim absque febre Maniacus; delirat Melancolicus circà quoddam singulare; qui comate vigili tentatur propendet ad somnum & flaccidus est; Lethargicus verò sopitur, afficitur febri lentâ, obliviosus est, & leviter delirat sed quià obliviosus.

Phrenitis morbus est acutus, periculosus ut plurimum, interdum lethalis. Fibrillæ nerveæ rigidiores factæ, crebrioribus acrioribusque agitantur vibrationibus, propelluntque validiùs, & acuunt spiritus & sanguinem; hinc ulterior fermentatio & febrilis æstus; sed & æstu febrili ulterius exsiccantur & rigescunt ipsæ fibrillæ, fiuntque tandem impares concipiendis vibrationibus illis quibus motus humorum & vita servantur. Tunc corruit humana machina, maximè si præcesserint ægritudines, quibus vires fuerint infractæ. Inclinantibus verò fibrarum nervearum vibrationibus, vertitur Phrenitis in coma vigil, vel declinante febre, ac perversâ constitutione cerebri in Lethargum. *Melius est Phrenitidem Lethargo, quàm Lethargum Phrenitidi supervenire aït Hypocrates.* Quare? Quod pendeat Lethargus à nimiâ fibrarum cerebri laxitate quam induxerit aut spirituum penuria aut serum luxurians, supplentur autem spiritus in Phrenitide serumque discutitur & ita fit Lethargicus accedente Phrenitide propior sano. Si vero conversus fuerit Phreneticus in Lethargicum, extinctam jam fuisse in humoribus spirituum flammam necesse est, & ita fuisse quassatas ac relaxatas cerebri fibras ut ope

nullâ restitui posse uideantur. Si Phreneticus dilucida habuerit intervalla maxima spes salutis affulget, si nulla, ferè conclamatum. Ita qui delirant in intermittentibus discusso paroxismo restituuntur. In febribus vero continuis præsertim malignis & in Peripneumoniâ Phrenitis ut plurimum lethalis est. *Ubi in febre non intermittente difficultas respirandi & delirium fit, lethale.*

Qui cerebrum vel ejus meninges inflammari credunt in Phrenitide hærentem sanguinem resolvere tentant venæ sectionibus ex cubito, malleolo, collo. His addunt hirudines, cucurbitulas scarificatas; sanguinem usque ad animi deliquium exhauriri jubent Qui furentes arbitrantur in corde, cerebro, ac nervis spiritus, hi narcotica tanquam præsentissimum auxilium præscribunt. Utrique non rectè. Franguntur vires ab exhausto sanguine, laxatur à narcoticis cerebrum, sopiuntur spiritus, pro vigiliâ præternaturali conciliatur præternaturalis somnus, convertitur Phrenitis in coma vigil aut Lethargum, affectus ipsâ Phrenitide perniciosiores. Qui explodentes fingunt in cerebro materias heterogeneas; iis eliminandis fortiora ac repetita præcipiunt Cathartica, & Emetica. Sic verò sanguis acriùs fermentescit seroque destituitur, sic exsiccantur partes, & Phrenitis invalescit. Quì ergò fuganda Phrenitis? Solis Humectantibus juxta quorumdam veterum praxim Phreneticum igitur largo aquæ potu etiam renuentem prolue; in Balneum tepens bis in die conjice. Phreneticæ ferè desperatæ Balneum fuisse saluti refert Vvillisius; nec mirum. Hujus ope laxatur cutis arida, serum suppeditatur sanguini, naturalis fibrarum tonus restituitur, pacatus conciliatur somnus, Phrenitis evanescit.

ERGO Phrenitidi Balneum.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII,
R. D. Franciscus Chicoyneau. *Cancellarius.*
R. D. Joannes Chastelain, *Decanus.*
R. D. Joannes Bezac.

PROFESSORES REGII,
R. D. Antonius Deidier.
R. D. Antonius Magnol.
R. D. Petrus Chastelain, *Patris Decani Coadjutor.*

R. D. Henricus Haguenot. *Doctor Aggregatus.*

DOCTORES ORDINARII.

M. Eustachius Marcot.
M. Antonius Fizes.

Propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano RENATUS SIRET *Blesensis, Artium Liberalium Magister, & jamdudum Medicinæ Studiosus. Die mensis Januarii.* 1710.